

CAPUT VIII.

DE MORBIS ET MEDICINA

I. Morbi generatim raro in Scripturis commemorantur: et probabilis etiam rariores fuerunt apud Hebraeos quam apud nos, saltem donec simplicitas morum, et vitae regularitas praevaluit, qua de causa etiam apud nomades Arabiae nunc pauci morbi sunt, ut graves auctores testantur (1). Hebraei generatim credebant, saltem aetate Christi, omnes morbos in poenam alicuius peccati sive patientis, sive saltem eius parentum a Deo directe immissos fuisse, quod non semper verum est, et Scriptura non omittit hoc praecidium impugnare, ex. gr. in Libro Job, et in historia caeci nati Jo. IX, 2, 3. Quod autem Hebraei omnes morbos a diabolo repeterent, et *daemones eicere* nihil aliud significet in N. T. quam morbos curare, est merum commentum recentiorum rationalistarum, quod suo loco refutavimus.

II. Inter particulares morbos Biblicos, quorum multi cum nostris iidem sunt, specialem mentionem merentur sequentes.

1. *Lepra*, צרעת, terribilis morbus apud Hebraeos satis frequens omni aetate, de quo multa in lege Moysi statuuntur. (Lev. XIII, et XIV). Lepra non est morbus tantum cutaneus, sed etiam carnes inficit, ossa et medullas penetrat, extremitatem membrorum corrodit, totumque corpus misere detorpat, et mutilat. Quatuor eius species vel modi distingui possunt 1° *Lepra* seu *Elephantiasis*, proprie dicta, cuius signa sunt paralysis systematis muscularis, et lenta destructio articulationum, 2° *Lepra alba*, 3° *Lepra nigra*, seu *vittiligo nigra*, 4° *Lepra rubra*, seu *alopecia*. In citatis Levitici capitibus Moyses sacerdotes constituit iudices huius morbi, eius naturae, progressus et sanationis: ut scilicet agnita et probata vera lepra aegrotus procul a consorcio hominum arceretur, nec iterum admitteretur in urbem domumque suam, nisi prius probata a sacerdote morbi sanatione, et oblati sacrificiis per legem praescris-

(1) V. Inter ceteros Niebuhr: *Description de l'Arabie*. Part. I, Ch. XIV, art. VI.

ptis. Ut autem sacerdotes recte iudicare possent, omnia signa et effectus leprae et affinium morborum in citatis capitibus minute et accuratissime Moyses distinxit, et exposuit, ita ut ipsorum medicorum admirationem excitaverit (1). Lepra non tantum homines inficiebat, sed etiam transibat ad filios et nepotes, aliquando usque ad quartam generationem: ita vero contagiosa erat ut vel ipso halitu, aut tactu facile aliis communicaretur. Hic morbus aliquando subito infligebatur in poenam peccati, ut accidit ex. gr. Azariae regi, (4 Reg. XV, 3) Mariae sorori Moysi (Num. XII, 10) et Giezi puero Elisaei (4 Reg. 27). Moyses non solum de hominum lepra, sed etiam de lepra vestium et supellectilis loquitur Lev. XIII, 47, 59, quae scilicet simili modo maculae apparebant, et hominibus eas tangentibus lepram intulisset, nisi statim separarentur, aut igne cremarentur vel abluerentur pro varietate casuum. Lepra benignior adhibitis remediis sanari poterat, malignior vero fere immedicabilem erat, praeter Divinum prodigium, cuius exempla quamplura occurrunt tum in Veteri tum in Novo Testamento.

2. *Pestis* דבר terribimus morbus, haud raro Hebraeos afflixit. Putant plerique pestem ex Aegypto aliisque finitimis regionibus primo in Palestinam invectam fuisse: semel sub regno David triduo 70000 hominum abstulit: nonnulli interpretes cum Iosepho Flavio existimant exercitum Sennacheribi 185000 hominum pestilentia periisse, quos dicitur angelus percussisse, quatenus pestem in eos immiserit.

3. *Paralysis*, παράλυσις notus est morbus, per quem omnium, vel quorundam membrorum usus amittitur. In N. T. frequens est mentio de paralyticis quos Christus sanitati restituit: nonnulli putant paralyticos in Evangelio appellari aliquando *lunaticos*, eo

(1) Glairé in sua *Archéologie biblique* Sect. I, Ch. V, §. 4, haec observat: « Feu M. Alibert, qui a été longtemps médecin en chef de l'hospice S. Louis à Paris (cet hospice est destiné plus particulièrement au traitement des maladies cutanées), et qui, par conséquent, a pu faire de nombreuses observations sur la lèpre, nous a témoigné en plusieurs circonstances sa vive admiration pour le grand savoir, que Moïse a montré dans sa description des différentes lèpres; surtout depuis que nous lui avons expliqué, sur le texte hébreu même, les chapitres du Levitique, qui traitent de cette maladie aussi bizarre que horrible. »

quod morbus ille influxibus lunae tribueretur. Verum probabilior est Hieronymi, aliorumque communis sententia, quae per lunaticos intelligit daemónicos, seu quodam diabolicae obsessionis genere laborantes, ut innuitur Matth. XVII, 14-17. Quod autem daemóniaci in Evangelio memorati essent vere a daemone obsessi, non autem simpliciter epileptici, aut alio morbo naturali correpti, ut voluit recentiores quidam, speciali Thesi demonstratum est in parte prima Introductionis criticae; quamvis negandum non sit eum diabolica obsessione etiam naturales morbos aliquando coniungi potuisse.

4. *Morbus Saulis* 1 Reg. XVI, 14, 15; XVIII, 10; XIX, 9, ita describitur ut dicatur spiritum malum eum arripuisse, et exagitasse, quo in furorem actus David saepius lancea confodere tentavit, et etiam eo correptus aliquando *prophetabat in medio domus suae*: demum ex sonitu citharae vel psalterii solamen accepisse dicitur. Ex his omnibus multi interpretes tum Iudaei tum Christiani opinantur Saulem morbo atrabiliari et hypocondriaco affectum fuisse, cuius accessus aliquando veram maniam generabant, qua sibi persuaderet se esse prophetam, et ad David innocentem trucidandum repente incitabatur.

5. *Morbus Nabuchodonosor* de quo est sermo Dan. IV, 16-22, 28-30, per quem dicitur veluti in belluam mutatus fuisse, ut *foenum quasi bos comederet, et rore coeli infunderetur, et capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, et unguis eius quasi avium*, probabilius non fuit nisi mania, seu accessus hypocondriaci morbi, quo lumine rationis impedito, et turbata phantasia, putabat se in belluam conversum, et belluinos mores imitabatur. Sane elapso tempore a Daniele praenunciato: « Ego Nabuchodonosor (inquit) oculos meos ad coelum levavi, et sensus meus redditus est mihi: et Altissimo benedixi, et viventem in sempiternum laudavi, et glorificavi » (ib. 31), quare non agebatur nisi de *sensus*, seu consilii et iudicii immutatione.

III. *Medicinae ars*, et medici, aliquando in Scripturis commemorantur. Medici primum occurrunt Gen. I, 2, ubi Ioseph eos iubet cadaver Iacob condire: verum hi proculdubio erant Aegyptii. Expressa de medicis mentio fit Ex. XXI, 19, ubi Moyses praecipit, ut qui in rixa alterum graviter percussit *operas eius, et impensas in medicos restituat*. Probabilius ab initio Sacerdotes artem

medicam exercebant, quae tamquam sacra olim habita est etiam apud Aegyptios, Graecos, Romanos aliasque veteres gentes: et ipse Moyses Sacerdotes constituit iudices de lepra principali morbo. Verum alios quoque laicos medicinam professos fuisse praesertim posteriori aetate dubitari non potest: nam saepe Scriptura de medicorum professione eorumque lucris loquitur ubi nulla occurrit de Sacerdotibus mentio (Ex. XXI, 19; 2 Par. XVI, 12; Ier. VIII, 22; Eccli. XXXVIII, 1-13); aetate autem Christi medicina secundum Graecorum et Romanorum scholas certe excolebatur, et de medicis pluries sermo fit in N. T. (Mar. V, 26; Luc. IV, 23). Inter ipsos sacros Scriptores N. T. Lucas erat medicus Antiochenus (Col. IV, 14). Pulchrum elogium medicorum, et medicinae legitur Eccli. XXXVIII, 1-13, ubi etiam praecipitur advocandum esse medicum, et honorandum, eumque a Deo sapientiam accepisse, ut sciat medicamenta a Deo creata reperire, parare, et morbis curandis applicare.

CAPUT IX.

DE MORTE, FUNERE, SEPULTURA ET LUCTU

I. Quamvis apud Hebraeos occurrat verbum מָוֹת ad mortem significandam, frequenter tamen Scriptura adhibet sequentes phrases: *appositus est ad populum suum; dormivit cum patribus suis; congregatus est ad populum suum*, quibus manifeste exprimitur fides Hebraeorum in animarum immortalitatem, et futuram vitam: scilicet pro iis veram religionem et revelationem tenentibus haec vita non erat nisi iter et peregrinatio ad meliorem vitam, ad quam tendebant: locus autem ubi animae defunctorum detinebantur expectantes adventum Messiae, qui aditum ad regnum coelorum reclusurus erat, dicebatur *Seol* שְׁוֹל, quod Vulgata reddere solet per *infernum*, non quidem ad locum tormentorum indicandum, qui apud nos sub hac voce intelligitur, sed ex eo quod crederetur receptaculum illud animarum in inferioribus terrae regionibus situm esse.

Cum aliquis extremum halitum reddidisset solebant propinqui, vel amici eius oculos claudere (Gen. XLVI, 4; Tob. XIV, 11),

quod quidem etiam Graecis, aliisque gentibus usitatum fuit, uti etiam apud veteres Christianos; imo apud hos tamquam sacrum officium haberi solebat (1). Utrum mos esset supremum osculum morientibus, vel mortuis dare non ita clare constat: nam quod legitur Gen. L, 1 Iosephum hoc patri suo Iacob fecisse, potest facile tribui speciali eius erga patrem amoris, et peculiaribus circumstantiis, in quibus mors illa accidit, potius quam receptae apud Hebraeos consuetudini. Deinceps cadaver a qua abluetur, et sindone involutum fasciis ligatur, sudario capiti imposito, ut apparet ex. gr. ex historia Lazari (Io. XI, 44), et ipsius Christi sepulturae (Matth. XXVII, 59; Io. XX, 6, 7); solebat etiam aromatibus, imprimis myrrha et aloe arabico ab amicis et propinquis condiri (Matth. XVI, 1; XXVI, 6-14; XXVII, 45, 59; Act. IX, 37). Cadaver vero ita praeparatum, nisi statim sepeliretur, in maiori aula seu coenaculo deponeretur, usque ad tempus sepulturae. Apud Aegyptios, ut notum est, speciali cura solebant cadavera condiri, et a corruptione praeservari: cadaver ita praeparatum vulgo *mumia* dicitur, et in loculo, seu cista lignea fere hominis figuram praeserente inclusum vel in sepulchro condebatur, vel etiam domi asservabatur tempore indefinito; mumiae enim per plura saecula incorruptae servantur, ita ut in Aegypto quaedam repertae sint, et adhuc reperiantur quae a remotissima aetate, 10 aut 15 ante Christum saeculis, descendunt. Quamvis tres methodi cadavera condiendi apud Aegyptios in usu fuisse dicantur, praecipua tamen et ditiorum propria erat illa quae adhibita est in cadaveribus Iacob et Ioseph Patriarcharum, qui in Aegypto mortui sunt: haec quidem dicitur a medicis peracta, et dies 40 perdurasse (Gen. L, 3); describitur autem ab Herodoto Lib. II, Cap. 86-88. Hebraeis tamen in Palestinam reversis non videtur hic modus cadavera condiendi usitatus fuisse, sed tantum aromatibus utebantur extrinsecus, quae corruptionem omnino non impediabant, ut apparet ex facto Lazari Io. XI, 39, et ex loco Psalmi XV, 9, 10.

II. *Funus*, seu pompa quaedam in cadavere efferendo, omnibus gentibus commune fuit, eoque privati ut summum dederunt

(1) Id colligitur ex S. Ambrosio in *Oratione de morte Satyri*, ubi hoc vocat *totivum officium*; V. Menochium De Republ. Hebr. I. VIII, c. 4.

ignominia semper habitum: quare etiam in Scripturis per modum convicii, aut dirae comminationis saepe indicitur cadaver alicuius absque funere et sepultura feris avibusque relinquendum fore (1 Reg. XVII, 44. et seq.; XXXI, 8-13; 2. Reg. IV, 12; 3. Reg. XIV, 11-14; Ier. VII, 33; VIII, 2); hoc dicebatur per contemptum *sepulturae asini* (Ier. XXII, 19). Funus curabant filii, propinqui et amici, vel etiam servi: cadaver feretro imponebatur, non quidem in arca, seu cista inclusum, sed tantum sindone involutum et fasciis alligatum, ut clare apparet ex exemplis Lazari, filii viduae Naimitidis (Luc. VII, 44), Christi Domini, et aliis: feretrum a quatuor vel sex propinquis portabatur: nunc solent portitores Indaeorum festinanter ambulare, utrum etiam antiquius hoc in more positum esset non satis innoscit. Funus comitari solebant parentes, propinqui et amici lugentes: ita funus Iacobi comitati sunt Ioseph, cum aliis filiis et tota domo, cum curribus etiam, et equitibus, magnaque hominum turba (Gen. L, 6-9); Rex David cum multa turba comitabatur funus Abner ducis exercitus Saul (2. Reg. III, 31, et seq.): haec autem data proportione etiam in funere privatorum hominum locum habuisse apparet ex historia adolescentis filii viduae, quem Christus ad urbem Naim resuscitavit (Luc. VII, 12-15).

III. *Sepultura* cadaveribus dabatur satis cito post mortem, quia in ferventi climate Palaestinae cadavera, etiam aromatibus peruncta, cito putrescunt. Mos corpora cremandi olim quidem ignotus erat Hebraeis, deinceps vero invaluit pro cadaveribus Regum tantum, ut apparet ex Saule, eiusque filiis, et ex Asa, et Sedecia regibus, quorum corpora cremata fuerunt, et cineres in sepulchro reconditi; imo hunc morem pro omnibus regibus servatum fuisse expresse dicitur 2 Par. XXI, 19; et Ier. XXXIV, 15: pro privatis autem nunquam hic mos obtinuisse videtur, quin imo secundum Talmud cadaverum crematio in abominatione fuit post captivitatem Babylonicam, fortasse quia a Gentilibus Graecis, et Romanis usitata.

Sepulchra Hebraeorum a nostris plerumque diversa erant. Pauperiores quidem in terra effossa sepeliebantur, ditiores vero in speluncis, seu cavernis, sive naturalibus, quibus Palaestina maxime abundat, sive arte excisis in rupe, aut sub solo: istae speluncae modo simplices erant, modo duplices, ut spelunca Abrahami, scilicet

licet duobus cubiculis, aut etiam tribus, quatuor vel pluribus constantes. Primum cubiculum apertum manebat quasi vestibulum sepulchri, aditus a primo ad secundum claudebatur porta marmorea, vel ingenti saxo. In his cadavera deponerentur sive in terra, sive in foraminibus, seu loculis in parietibus cavernae effossis, ita ut in una eademque spelunca plures sepelirentur. Solebant enim Hebraei non sibi solum, sed et uxori, et filiis, totique familiae, sepulchra comparare, ut simul mortui requiescerent. Huiusmodi sepulchra extra urbem et pagos extruebantur ut etiam Lex Mosaica, et sanitatis ratio postulabat; plerumque in hortis, aut sub frondosis arboribus sepulchra struere adamabant (Gen. XXIII, 17; XXXV, 8; 1 Reg. XXXI, 13; 4 Reg. XXI, 18; Io. XIX, 41). Raro fiebat ut viri illustres permitterentur in urbe sepeliri, ut ex gr. Samnel (1 Reg. XXVIII, 3), Manasses (4 Reg. XXI, 18), Iojadas Sacerdos (2 Par. XXIV, 43, 46): Reges autem Iuda propria sepulchra habebant Hierosolymae in monte Sion. Ceterum cum non omnes haec privata sepulchra possiderent, aderant etiam communia sepulchreta, ut innuitur 4 Reg. XXIII, 6; Hier. XXVII, 7; in N. T. mentio fit de agro assignato sepulturae peregrinorum, (Matth. XXVII, 7), qui adhuc cernitur prope Ierusalem ad austrum. Sepeliri in sepulchro paterno magno honori habebatur, summo autem dedecori ab illo excludi. Sepulchra solebant quotannis dealbari, sive ad elegantiam, sive etiam ad eorum situm clarius praetererentibus indicandum ne forte ex eorum contactu immundi fierent: hinc nota illa similitudo, qua Christus perstringit Scribas, et Phariseos hypocritas illos comparans *sepulchris dealbatis* « quae a foris parent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum, et omni spurcicia » Matth. XXIII, 27. Adhuc in Palestina plurima sepulchra antiquissima reperiuntur, praesertim circa Ierusalem; quorum nonnulla ampla et perpulchra sunt, in primis ea quae dicuntur sepulchra regia, et sepulchrum Helenae reginae, quae alias vidimus sita esse ad Septentrionem urbis non procul a monte Scopo. Haec quidem vel duobus, vel tribus cubiculis constant, in quae descenditur per gradus: in muro exteriori foramen aderat per quod cadavera in singula cubacula dimittebantur. Quandoque sepulchris imponebantur quaedam *monumenta*, quorum nonnulla in Oriente adhuc occurrunt. Opor-

tet tamen in his distinguere monumenta Arabum, et Mohammedanorum, a monumentis Hebraicis. Arabes solebant honoris causa acervum lapidum super sepulchrum attollere, contra vero Hebraei hoc erat signum opprobrii ac detestationis, ut supra vidimus: Mohammedani solent super sepulchra eorum quos sanctos putant quasdam aediculas extruere quatuor columnis innixas, quarum multae occurrunt in Syria et Palestina. Hebraei vero solebant unum ingentem lapidem attollere, vel informem, vel serius etiam laevigatum, et epigraphae quoque ornatum. Notum est Aegyptios praegrandia monumenta mortuis erexisse, quorum praecipua sunt pyramides, quae magnitudine montibus comparari possunt.

Inter sepulchra, de quibus Scriptura mentionem facit notari possunt sequentia:

I. Sepulchrum Abrahami dictum *Macphelah* מַכְפֵּלָה, seu *spelunca duplex*, quam ipse emit ab Ephron Hethaeo (Gen. XXII, 8-20). Hoc sepulchrum celeberrimum extitit: ibi sepulta est primum Sara, deinde ipse Abraham, postea Isaac et Rebecca, serius corpus Iacob ex Aegypto asportatum ibi conditum fuit, a Ioseph, eiusque fratribus: haec spelunca cum sepulchris Patriarcharum sita erat prope Hebron, quae tunc dicebatur Mamre, et tempore Iosephi Flavii in magno honore erat, et etiam saeculo quarto Ecclesiae adhuc invisebatur, testibus Eusebio, Hieronymo et aliis. Quin imo nunc certum est praedictam speluncam cum sepulchris adhuc existere in pago dicto *El-Khulil*, qui respondet antiquae Hebron; sed sub Mohammedanorum potestate est, qui eam superstitiose custodiunt intra aedem dictam *Haram*, et ingressum Christianis negant. Nonnullis tamen illustribus viris permixtum nuper fuit intra muros *Haram* ubi spelunca includitur penetrare, non tamen in ipsam speluncam descendere, neque etiam accensis facibus eius penetrata procul inspicere (1). Incredibile non est ibi adhuc servari ossa Patriarcharum, fortasse integrum Iacobi corpus.

(1) Saeculo XII quidam Rabbi Benjamin dicitur visitasse speluncam, et Patriarcharum sepulchra vidisse. Initio nostri huius saeculi quidam apostata Christianus qui nomen assumpsit Ali Bey intra praedictum *Haram* introductus fuit. Recentius a. 1862 princeps regalis Angliae cum D. Stanley visitavit hunc locum, sed nihil de Macphelah inspicere poterunt, ut in relatione fatetur laudatus Stanley: idem plus minus accidit D. Fergusson, et

2. *Sepulchra* Regum ut diximus in Sion extracta erant, eaque splendida fuisse dubium non est. Sepulchrum David Herodes aperuit, et in eo regia insignia invenit. Narrat Iosephus (Antiq. Lib. XVI et de Bel. Iud. Lib. I Cap. 2) Ioannem Hyrcanum idem sepulchrum explorasse, et ibi thesaurum invenisse.

3. *Sepulchrum Iosue* situm erat prope urbem *Tamnathasar*, in monte *Ephraim* a septentrionali parte montis *Gaas* (Ios. XXIV, 30). Hoc sepulchrum, quod certe magnificentius esse oportuit pro merito et fama tanti ducis, creditur nuper repertum fuisse in loco dicto *Khîrîbet-Tîbneh*: eius inventor fuit V. Guérin a 1864, cuius explorationes et investigationes confirmatae fuerunt a Saulcy anno 1866 (1).

4. *Sepulchrum*, seu monumentum *Machabaeorum* magnificentissimum extractum in loco dicto *Modin* ita describitur I Mach. XIII, 27 et seq.: « Et aedificavit Simon super sepulchrum patris sui, et fratrum suorum aedificium altum visu, lapide polito retro et ante: et statuit septem pyramidas, unam contra unam patri et matri, et quatuor fratribus: et his circumposuit columnas magnas; et super columnas arma, ad memoriam aeternam; et iuxta arma naves sculptas, quae viderentur ab omnibus navigantibus mare ». Vid. etiam Iosephum Antiq. Lib. XIII, Cap. 14.

5. *Sepulchrum Christi* Domini ceteris longe sanctius et omni veneratione dignum adhuc extat in ea parte collis *Calvariae*, quae intra Ecclesiam Sancti Sepulchri inclusa est. De hoc nonnulla diximus in Sect. I.

IV. *Luctus* Orientalium generatim vehementior, et clamoribus

Marchioni de Bute (a. 1866). *E. Pierotti* in alias citata descriptione *Ierosolymae* narrat se intra *Haram* et *Moscheam* introductum vidisse portam cancellis munitam, quae ad speluncam ducit, sed permissum non fuisse eam ingredi: porta haec extat prope angulum Nord-ovest *Haram*. *Mohammedani* qui hoc Sanctuarium custodiunt libere possunt in illud penetrare, sed utrum id faciant ignoratur.

(1) V. *Besue archéologique*, Fevr. 1865 p. 100-108: *Le tombeau de Iosue*, *Nota sur le Khîrîbet (Kharbet) Tîbneh dans le massif d'Ephraim* *lue à l'Académie des Inscriptions et Belles-Lettres le 28 Octobre 1864* par M. V. Guérin: et iterum in celebri eiusdem auctoris opere *Description de la Palestine, Samaria*; item *De Saulcey: Voyage en Terre Sainte* 1865, to. II, p. 226-228.

ac significationibus plenus erat, et est multo magis quam apud Occidentales. Sine dubio autem varius erat et vehementia et duratione, pro varia defuncti conditione et merito. Hebraei generatim in luctu vestimenta scindebant a collo usque ad cingulum, caput cineribus vel pulvere conspergebant, saccum vel cilicium induebant, aliquando etiam barbam et capillos radebant, aut etiam lacertos sibi incidebant, ut observat Hieronymus Comm. in Ierem. XVI, 6: interim vero convivia, balnea, capitis unctionem, aliaque temporis laetitiae et prosperitatis propria intermittebant: cantus tamen lugubres, et instrumentorum concentus aliquando admittebant (Amos V. 16; Ier. IX, 14; XIX, 16; XLVIII, 36; Matth. IX, 23; Luc. VII, 32). Haec autem generatim perdurabant una hebdomada iuxta illud Eccli. XXII, 13: « *Luctus mortui septem dies* »; verum pro illustrioribus defunctis diutius protrahabatur: ita populus Hebraeorum luxit mortem *Moysi* triginta dies (Deut. XXXIV, 8). Tempore luctus solebant propinqui convivium lugentibus parare, quod in Scripturis dicitur *panis dolorum*, et a Latinis dicebatur *parentalia* (Hier. loc. cit.). Alibi vidimus sacerdotes non potuisse luctum peragere nisi in morte parentum, filiorum, fratrum, ac sororis virginis; summo vero Pontifici nec pro his funera aut luctum permissum fuisse.

FINIS

A. M. D. G.